

esset a deo vel quando^{x)} aliquis imperator elligeretur per columbam vel ab ore Christi, atamen indigeret confirmatore. Videmus enim quod Paulus¹⁵⁾ et Barnabas fuerunt electi in apostolos per spiritum^{y)} sanctum, atamen fuerunt per apostolos confirmati cum manuum^{z)} impositione¹⁵⁾, ut habetur Actuum xiii.^{15a)}; et beatus Ambroxius et beatus Nicholaus¹⁶⁾ fuerunt a deo electi, atamen fuerunt per prelatos ecclesie confirmati; similiter Saul et David fuerunt electi a deo, atamen per sacerdotes fuerunt inuncti. Cum autem fuerit in regem Romanorum electus, papa debet eum examinare et si fuerit sufficiens debet eum coronare et inungere; et tunc imperii administrationem¹⁷⁾ accipit sub iureiurando sicut fidelis ecclesie sub titulo feudi¹⁷⁾, et sic dicit: 'Ego N. Romanorum rex, anuente deo futurus imperator', cuius forma habetur in Constitutionibus clementinis¹⁸⁾. Hinc est quod si imperator contra sacramentum fidelitatis veniat per papam deponitur, sicut patet de Ottone quarto¹⁹⁾, quem Innocentius tertius imperio privavit, et de Federico ultimo, quem Innocentius^{a)} quartus deposuit, qui ambo sacramentum^{b)} fidelitatis violaverunt et ecclesie rebellaverunt. Simile fecit Stephanus papa de imperio constantinopolitano quod transulit ad Germanos, et <de> Hylderico rege Franchorum, cuius regnum papa tradidit Pipino nano²⁰⁾, et in maiori Britania et Yspania et pluribus aliis regnis, que omnia Constantinus subiecit ecclesie. Unde in Ieremia²¹⁾ dicitur in persona summi pontificis: 'Ecce constitui te super gentes et regna, ut evelas et discipes, edifies et plantes'; que verba habentur Extra. de maiestate et obedientia. capitulo *Solite*²²⁾. Sic c)²³⁾ Samuel sacerdos deposuit Saulem regem, ut habetur primi Regum capitulo^{d)} xv.²⁴⁾, et Ioadas sacerdos interfecit Athaliam regem Iuda et instituit Ioas regem, ut habetur quarti Regum xi.²⁵⁾. Ex hoc aparet quod ille, qui elligitur in regem Alamanie, non exerceat iura regalia, nisi prius sit inunctus, nec exerceat imperialia, nisi in Roma sit coronatus; aliter deponi posset. Non enim habet imperator imperium ab electoribus sed a confirmante^{e)}, sicut continue videmus in aliis electionibus, quia electus non administrat, nisi sit confirmatus. Inde est quod per electores in nullo casu potest deponi sed per illum qui confirmavit, ratione delicti vel insuficientie, quia bonum privatum debet postponi bono comunitatis. . . . Et ideo Iohannes papa huius nominis XXII^{f)} deposuit Lodovicum Bavarie, quia marchionatum de Brandenburg contulit filio suo^{g)}, quod ad imperium pertinebat, antequam esset in imperatorem coronatus²⁶⁾.

x) quod BW y) papam W z) manu B a) quem Innocentius om. B
b) iuramentum W c) sicut B d) om. W e) firmante B f) huius
nominis XXII papa tr. B g) suo filio tr. W

15) Paulus — impositione vgl. *Petrus de Palude, Tract. 182, 26 f.*
15a) *Ac. 13, 3.* 16) Vgl. *D. 61 c. 8 dict. Grat. und Gl. ad v.*
His omnibus. 17) administrationem — feudi vgl. *Tholomeus von Lucca, DC 60, 10 f.* 18) *Clem. 2. 9 c. un.* 19) Vgl. *Tholomeus von Lucca, DC 31 f.* 20) *Der Beinamen nach Gottfried von Viterbo, Pantheon (MG SS 22, 204 f. u. ö.).* 21) *Jr. 1, 10.* 22) *X. 1. 33. 6 § 3.*
23) Sic — xi. (vor Anm. 25) vgl. *Tholomeus von Lucca, DC 12, 21—31.* 24) *1. Rg. 15, 26—28.* 25) *4. Rg. 11.* 26) Vgl. *F. Baethgen, Mediaevalia 1, S. 178; zur päpstlichen Auffassung vgl. ferner MG Const. 5 Nr. 792 S. 617 und Nr. 944 S. 780.*